



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis
Disciplinis & religione Christiana**

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

189. De eadem re.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

De feminis quæ viros amittunt. *Capitular.*

lib. i. cap. xcvi.

CLXXXVIII. De feminis quæ viros amittunt, placet ne se, sicut haec tenus, indiscretè velent; sed triginta dies post discessum viri sui expectent; & post tricesimum diem per consilium Episcopi sui, vel, si Episcopus absens fuerit, consilio aliorum religiosorum sacerdotum suorumque amicorum, id quod eligere debent eligant. Et quia à sacro conventu rogati ut hi qui publicam gerunt pœnitentiam, & feminæ quæ viros amittunt, nostra auctoritate, donec deliberent quid agant, tuerentur, specialiter pro his Capitula fieri & legis mundanæ capitulis inserenda decrevimus.

Mutilus est hic locus apud Reginonem, Burchardum, & Ivonem. Nam libro i. Capitular. cap. cii. tam in editis quam in manuscriptis codicibus, tum in Capitulari Aquitanensi Ludovici Pi cap. xxi. post illa verba religiosorum sacerdotum, legitur suorumque parentum atque amicorum. Vnde colligi debet Burchardum & Ivonem sua descripsiæ ex Reginone.

De eadem re. *Ex Capitularium lib.*

i v. cap. xv i.

CLXXXIX. Qui viduam intra primos triginta dies viduitatis vel invitam vel volentem sibi copulaverit, sexaginta solidos componat. Et si invitam eam traxerit, legem suam ei componat, illam vero ulterius non attingat.

Lib. i. Capitular. c. 102.
& lib. 2. Leg.
Longob. tit.
6. c. 4.
Burchard. lib.
8. c. 42.
Ivo part. 7.
c. 60.

Lib. 4. Capitular. c. 17.
Lib. 2. Leg.
Longob. tit.
6. c. 3.